

L. 38, 13.

Oratio Metrica

De

OBSIDIONE URBIS
LIPSIENSIS,

A die XVIII. Octobris, usq; ad XXVIII. No-
vembris diem, Anni post Virginis partum
cdo lcc XLII. gravissimè continuatâ.

*Versibus quantum fieri potuit, puris ferè
Virgilianis*

Tela inter media, atq; horrendos Marte tumul-
tus contexta,

Et

Præscitu ac Permissu

Inclytæ & Spectatissimæ Facultatis Philosophicæ,
in celeberrimâ & florentissimâ Academiâ
Lipsiensi,

*Splendidissimo & Amplissimo Confessu auscultante
in Acroaterio Collegii Principum ma-
joris habita*

à

JOHANNEN NICOLAUM FINCKIUM, Smalcald.
Philosophiæ & Medicinæ Studioso.

d. XXI. Januari
horâ VIII.

cdo lcc XLIII.

Sumptibus hered. Joh. Franckens & Samuel Scheibens.
Typis Henningi Coleri,

Yc
4603

Gratio Medicis

OBSTRICTIONE URINAE

LESLIE N. 1313

ALAE VII. DE OBSTRICTIONE URINAE

LIBER PRIMUS. DE OBSTRICTIONE URINAE

CAUSIS ET SYMPTOMATIBUS

CAUSIS ET SYMPTOMATIBUS

CAUSIS ET SYMPTOMATIBUS

CAUSIS ET SYMPTOMATIBUS



DE CANUS FACULTATIS
PHILOSOPHICÆ IN ACADE-
MIA LIPSIENSI.



Ulla salus bello, Tot jam labentibus annis
Sævit amor ferri, cædisq; infana cupido,
Fas & jura silent, rapit inclementia *Martis*,
Pessima quæq; dies fuit hîc mortalibus ævi.
Nulla salus bello. *Mars* candida pectora rupit,
Hinc atq; hinc glomerati hostes, & cominus il-
Undiq; cingentes aditum custode coronant, (hinc
Estq; animus ferris hominum devincere gentem.
Nulla salus bello. *Bello* vis omnia vincit,
Vidimus excidia, atq; obsessam vidimus urbem:
Cætera, quâ rerum jaceant perculsa ruinâ
Ante oculos, intèrque manus sunt omnia vestras.
Sed si tantus amor nostros cognoscere casûs
(Quamquam animus meminisse horret luctuq; refugit)
& breviter *PHILURES* supremum audire laborem.
FINCKIUS en proles *Sophie* atq; *Machæonis* artis
Expedit dictis hominumq; Urbisq; dolores,
Fatâque, fortunâsq; virum, cum crastina cælo
Puniceis in vecta rotis octava rubebit,
Ordine cuncta suo referens opera, atq; labores
Vero Virgilio Versu cursusq; docebit.
Vos igitur ludi clarissima lumina nostri,
Vos & Pieridum sublimia castra secuti,
Accipite hæc vestris animis, decus addite magnum
Præsentesq; favete, & *FINCKI* figite dicta.
Quantum opis est nostræ semper pro talibus ausis
Vobis nitentur memores persolvere grates!
Vivite felices cuncti, multosq; per annos
stet fortuna domûs, post tot discrimina rerum.
Post varios casus *exoptatissima mundo*
Pax redeat! Nostro pondus voto addat *Jova!*

Cum Deo!

Sollicitant alii remis freta cæca, ruuntq;
in ferrum, penetrant aulas & limina Regum;
Pro-Rector rerum nostrarum summa potestas,
Quem penes, in quem omnis domus inclinata recumbit!
Vos quoq; Theologici splendentia sidera cæli,
Quorum semper honos, nomen, laudesq; manebunt!
Juris Consulti famâ super æthera noti,
irradiat quorum cœtum sapientia mundum!
Artis Apollineæ soboles, spargensq; salubreis
Ambrosiæ succos, & odoriferam panaceam,
dum juga montis aper, fluvios dum piscis amabit,
dumq; Thymo pascentur apes, dum rore cicada
Vester honos, nomen magnum, laudesq; manebunt!
Vosq; Sophi, vates, & Phæbo digna locuti,
nam neq; Parnassi Vobis juga, nam neq; Pindi
ulla moram fecêre, neq; Aoniæ Aganippæ:
Quos etiam Lauri, quos & docuêre myricæ
Quiq; sui memores alios fecêre merendo!
Mystæ iter æthereas qui demonstratis ad ædes!
Vos clari Sophies Sponsi, Tritonia Pallas
Quos docuit multiq; insignis reddidit arte!
Et qui Pieridum sublimia castra secuti,
inventas aut qui vitam excoluêre per artes!
Sollicitant alii remis freta cæca, ruuntq;
in ferrum, penetrant aulas & limina Regum;
Hic petit exscidiis urbem, miserôsq; penates
ut gemmâ bibat, & Sarrano dormiat ostro:
condit opes alius, defessoq; incubat auro:
Me verò primùm dulces ante omnia Musæ,
quarum sacra fero, ingenti percussus amore

acc-

accipiant, cœliq; vias & sidera monstrent.
Nunc si tantus amor casus cognoscere nostros,
armorum & tantos æstus, tantosq; furores,
ac breviter PHILURES supremum audire laborem,
(Quamquam animus memorasse horret luctuq; refugit)
hinc canere incipiam, quæq; ipse miserrima vidi.
Sed DEUS omnipotens cæptis ingentibus adsis,
Da facilem cursum, nostro succurre labori,
Te sine nil altum mens inchoat, annue cæptis!
Felix heu nimium felix, si missus ab alto
ipse gubernator Rector subit ipse Magister,
ipse ratem conto subigit, veliq; ministrat
donec rostra tenent siccum & sedere carinæ.
Pandite nunc Heliconæ Deæ, cantusq; movete
& mecum ingentes oras evolvite belli!
Et meministis enim Divæ, & memorare potestis,
Quas ibi tum ferro strages sub mœnibus altis.
Tuq; ades, inceptumq; unâ decurre laborem,
ô decus, ô ludi meritò pars maxima nostri.
Jam Philippe, mariq; volans da vela patenti!
Magnanimi Heroes, Musisq; addicta juvenus
accipite ergò animis, atq; hæc mea figite dicta,
Ore favete omnes, tristesq; advertite mentes!
Postquam Lipsiacam bellis convertere gentem
hoc meritam visum superis, mox ingemit Albis
motibus insolitis, subito terræq; dehiscunt
Sanguine, contristant semper, nec tempore eodem
& puteis manare cruor cessavit, & amnes
sistunt; terra parens irâ irritata Deorum
progenit monstrum horrendum miserabile visu.
Haut ignota loquor, per campos undiq; guttæ
Sanguinæ manant, scelera atq; immania monstra

adparent, diræ facies & ubiq; videntur.

Curia tum subitum atq; oculis mirabile monstrum
objicit, (haud parvum est) Quæ justo examine lances
ensemq; insignem, decus & tutamen in armis
sustinet, æqvato trutinæ quæ examine pensat
ne quid hiet, ne quid protuberet, angulus æqvus
partibus ut cœeat, nihil ut deliret amussis:

Quæ mare, quæ terrasq; metu, cum fortè coorta est
seditio, sævitq; animis nova bella moventes
imperio premit, ac vinclis & carcere frenat,
mores & studia, & populos, plebisq; Patrumq;
castigatq; auditq; dolos, subigitq; fateri,
secretosq; pios promisso munere donat,
parcit subjectis, quæ debellatq; superbos,

Hujus summa super labentes pondera terræ
cernuntur lances, Diu talem avertite casum!

Extemplo turbati animi, concussaq; vulgi
pectora, & arreptæ stimulis haut mollibus iræ,
exoritur miseros inter discordia cives.

Atq; ea diversâ penitus dum parte geruntur
tristia Mercurius nova fert, flagrante tumultu
fama, malum quod non aliud velocius ullum
mobilitate viget, vires conq; virit eundo:

Parva metu primo, mox sese attollit in auras
ingrediturq; solo, & caput inter nubila condit
tam ficti praviq; tenax quam nuncia veri.

Vertitur intereâ cœlum, & ruit Oceano nox,
nox ruit, & fuscis tellurem amplectitur alis,
nuncius ingenti rursus per tecta tumultu
ecce ruit, magnisq; urbem terroribus implet.

Fama volat, totam subito vulgata per urbem
rumoresq; serit varios, ac talia spargit:

Sre-

Svecorum populos totis descendere campis

Postera vix summos spargebat lumine montes
orta dies, cum primum alto se gurgite tollunt
Solis equi, lucemque elatis naribus efflant;
ilicet in muros totam discurremus urbe
cunctaque Nicoles celsam de turre videri
jam poterat legio, & latis tendebat in arvis:
stant pavida in muris matres, oculisque vident jam
pulveream nubem, & fulgentes aere catervas,
quantum acie possunt oculi servare sequentum.
Vota metu duplicant matres, propiusque periculo
et timor, & major Martis jam apparet imago.
Exemplum portis Sveci circum omnibus instant,
migrantes cernas cunctosque per arva ruentes,
quod valis ubi alterno procurrens gurgite pontus
irruit ad terras, scopulosque superjacet undam
spumeus, extremamque sinu perfundit arenam:
protinus adventus dat signum rauca cruentum
buccina, tum muros variam cinxere coronam.
Interea multi correpta dura bipenni
limina perumpunt, postesque a cardine vellunt
aratos, jamque excisa trabe firma cavarunt
robora & ingentem lato dant ore fenestram.
Et velut ingentem formicae farris acervum
cum vastant, hyemis memores, tectoque reponunt
et nigrum campis agmen, praedamque per herbas
convectant calle angusto: pars grandia trudunt
obnixè frumenta humeris; pars agmina cogunt,
castigantque moras, opere omnis semita fervet,
idem illos simul ardor habet, rapiuntque ruuntque.
Namque alii praedae invigilant, pars agmine facto
exercetur agris, pars intra tecta Suburbi

617a

aūratos calices, veterum decora alta parentum
q̄xerunt, hinc alii strictis mucronibus imas
obsedēre fores, illinc labat ariete crebro
janua, & emoti procumbunt cardine postes.
Fit via vi, rumpunt aditus, hinc undiq; clamor
dissensu magnus vario se tollit in auras,
diffugiunt armenta, furit mugitibus æther
setigeriq; sues, collectaq; omnibus agris
raptantur pecudes, vicinisq; ædibus hostis
bacchatur, miles raptor semiuſtaq; seruat
tecta, nec a velli patitur furor: inde lupi ceu
raptores atrâ in nebulâ, q̄vos improba ventris
exegit cæcos rabies, catuliq; relictis
faucibus exspectant siccis per strata, per ædes
immissi sævo latè loca turbine complent.
Sic se illi prædæ adcingunt, spoliisq; futuris
Sicq; armis in tecta ruunt, ædēsq; capeſſunt!
Ille dies primus cladis, primusq; malorum
fons fuit, ex illo cæperunt tempore cuncta
in pejus ruere, & retrò sublapsa referri.
Vertitur intereà cardo omnipotentis olympi
involvens umbrâ magnâ terramq; polūmq;
jam latè placidum carpebant fessâ soporem
corpora per terras, sylvaq; & sæva q̄viērant
æqvora, cū medio volvuntur sidera lapsu,
cū tacet omnis ager, pecudes, pictæq; volucres
q̄væq; lacus latè liq̄vidos, q̄væq; aspera dumis
rura tenent, somno positæ sub nocte silenti
lenibant curas, & corda oblita laborum.
Altera vix summos spargebat lumine montes
Tithoni croceum linq̄vens aurora cubile
jamq; faces, & saxa volant, furor arma ministrat,

Qui novus hinc nostris successit sedibus hospes
succendit tecta, & flammam ad culmina jactat.
Tum flamma infelix ingentibus excita monstris
immensam sine more furit lymphata per urbem
ceu quondam torto volitans sub verbere turbo
quem pueri magno in gyro vacua atria circum
intenti ludo exercent; ille actus habenam
curvatis fertur spaciis, stupet inscia turba
impubesq; manus mirata volubile buxum:
Dant animos plagæ, non cursu segnior illo
per medias ædes agitur, mediisque penates,
ilicet ignis edax summa ad fastigia tecti
volvitur, exsuperant flammæ, furit æstus ad auras.
Ac veluti montis saxum de vertice præceps
cum ruit, avulsam vento, seu turbidus imber
proluit, aut annis solvit sublapsa vetustas
fertur in abruptum magno mons improbus actu
exultatq; solo; sylvasq; armenta, virosq;
involvens secum, fragor ingens æthera complet:
Haut aliter surgit clades, volat ignis ad alta
atria, mox totam bacchatur flamma per urbem,
lamentis, gemitu, tum fœmineo ululatu
tecta fremunt, resonat magnis plangoribus æther.
Tum verò manifesta fides, structæq; patefcunt
insidiæ: jam Schureri dedit amplam ruinam
Vulcano dominante domus, jam proximus ardet
Scheffler, & ingentem subito traxere ruinam
Finckelthusiæ jam magni consulis ædes,
Kühlveiniq; lares celebres, Schutziq; penates.
Interea qui famam ingens, ingentior armis
Torstensohn Svecum Ductor, simul incipit ore
significatq; manu, atq; effundit pectora verba:

B

Per

Per caput hoc iuro, per quod Baner ante solebat
LIPSIS tu meritas subito mihi sanguine poenas
persolves, ferro Philuream vincere gentem
est hæc, est animus, stirpem & genus omne futurum.
Nec mora consiliis, Paulini mœnia docta
qvassantur, mox venturæ dant signa ruinae.
His animadversis, peditum levia arduus arma
premisit, quaterent valido cum robore muros,
adscensûq; suo superarent limina scissa.
Hinc atq; hinc alii telisq; frequentibus instant,
discurrunt alii ad portas, atq; omnia lustrant,
qvæerunt pars aditum, & scalis adscendere muros
qvâ rara est acies, interlucetq; corona
non tam spissa viris: telorum effundere contra
Lipiaci, ac duris subito detrudere contis
assveti longo muros defendere bello.
Nec iam sufficiunt, nam quâ globus imminet ingens
Lipiaci immanem molem volvuntq; ruuntq;
armatiq; cavis expectant turribus hostes.
Post alii multi clamant per strata, per ædes:
ferte citi ferrum, date tela, scandite muros,
Hostis adest, eja, ingenti clamore per omnes
condunt se Sveci fissas & mœnia complent:
stat sua cuiq; dies, breve & irreparabile tempus
omnibus est vitæ, sed famam extendere factis
hoc virtutis opus magnum! Sic itur ad astra!
Talibus accensi firmantur, & agmine denso
concurrunt, sequitur clamor, cœlumq; remugit,
protinus armati incedunt, quos omnis euntes
primorum manus ad portas juvenumq; senumq;
prosequitur votis, multo gemitu, lachrymisq;
Omnis per muros legio sprtita periculum

excu-

excubat, exercetq; vices quod cuiq; tuendum est.
Hic verò ingentem pugnam, ceu cætera nusquam
bella forent, nulli toto morerentur in orbe,
sic Martem indomitum, Svecosq; ad tecta ruentes
cernimus, obsessamq; actâ testudine portam:
Herent nunc muris scalæ, postesq; sub ipsos
nituntur gradibus, clypeosq; ad tela sinistris
protecti objiciunt, prensant fastigia dextris.
Lipsiaci contrâ turres ac tecta domorum
adscensu superant, & se (quando ultima cernunt)
extremâ jam in morte parant defendere telis,
perq; cavas densi tela intorq; vere fenestras.
Experti juvenes, spes addita suscitât iras,
intendunt acres arcus, amentaq; torq; vent,
tela manu è muris jaciuntq; & robore duro
stipitibus ferrum, sudibusq; imitantur obustis
precipites, primiq; mori pro mœnibus audent,
ipsi intus dextrâ ac lævâ pro turribus adstant
armati ferro, & cristis capita alta corusci,
freti armis ultrôq; invitant mœnibus hostes.
Nec minùs hinc alii strictis mucronibus ima
obsedère loca, hæc conservant agmine denso,
aggeribusq; ipsis murorum prælia miscent,
resperguntq; atro Grimmenses sanguine fossas.
Interea audaces Sveci hos jam pellere vallo
missilibus certant, & mœnia cingere flammis,
ardentes tædas alii ad fastigia jactant,
nec curant toties cæco contendere Marte.
Quis cladem illius lucis? quis damnare fando
explicit? aut possit lacrymis æquare labores?
Sanguine terra madet propè propugnacula fædè.
Nec mora, continuo (Sic fert divina voluntas)

Sveci tùm celeres versare per aëra gressus,
vulneraq; illa gerunt, quæ circum plurima muros
accepere fero trajectaq; corpora ferro
à tergo linquunt, sociisq; exacta recensent.
Nunc magis increscunt animis discordibus ira.
implacabilis ira nimis, non tempore tali
quam nec longa dies, pietas nec mitigat ulla.
Nunc strepit assiduo (horrendum!) cava tempora circum
crebra manus, duro crepitant sub vulnere male
discussaq; juba, cervixq; comæq; trahuntur.
Nunc miles spoliis se quisq; recentibus armat,
hinc exaudiri gemitus, & sæva sonare
verbera, tùm stridor ferri miserabile visu.
Nunc vertunt oculos, lingua & vox excidit ore
semianimesq; micant digiti, ferrumq; retractant,
nec longum in fossis tempus, lucemq; nec auras
respiciunt, tædet cæli convexa tueri,
& caput inflexum lentâ cer vice recumbunt.
Hic aliud majus multo: ante immanior omnes
qui manibus rapidis actas ad sidera pinus
scindebat raptas, gelidâq; sub ætheris axe
Sole sub ardenti findebat fissile lignum
seditione potens fidum fert pectus in hostes:
Ipse manu quatiens, correptâ (ô facta! bipenni
pectore, nunc foedat pugnis, nunc unguibus ora
implicuitq; comam dextrâ, nunc ille sinistrâ
sq; vallentem barbam, & concretos sanguine crines,
occupat os, faciemq; instat nunc verberere torto:
Tristius haud illo monstrum, nec sævior ulla
pestis, & ira Deum stygiis sese extulit undis.
At domus interior gemitu miseroq; tumultu
miscetur, penitusq; cava plangoribus ædes

fami-

fœmineis ululant, ferit aurea sidera clamor :
interea pendent dulces circum ubera nati
& pavida tectis matres ingentibus errant,
amplexûq; tenent postes, atq; oscula figunt.
Atq; aliæ tremulis ululatibus aëra complent,
deseruere domos, ventis dant colla comasq;
haut secus ac sylvam quando devexit arator
& nemora evertit multos ignava per annos,
antiquasq; domos avium, cum stirpibus imis
eruit, illæ altum nidis petiere relictis:
expulsaq; fremunt late stridentibus alis,
& fletu cinxere polum, gemitusq; dedere.
Quis tibi tunc LIPSIS cernenti talia sensus?
quos vè dabis gemitus? cum moenia sancta repleti
milite conspiceres raptore, ipsamq; videres
misceri ante oculos tantis clamoribus urbem?
improbe Mars, quid non mortalia pectora cogis?
En iterum in lachrymas cives facis ire, pericla
tentare, & tristes animos submittere cladi!
Iuppiter omnipotens; si non dum exosus ad unum
es cunctos, si quid bonitas antiqua labores
respicit humanos, reliquum da evadere flammis,
nunc DEUS & tenues urbis res eripe letho!
Parce pio generi, & propius res aspice nostras,
incipere jam tandem precibusq; inflectere nostris!
Talibus orantem dictis, palmasq; levantem
audit omnipotens, oculosq; ad moenia torse.
LIPSIDIS, & cives vitæ melioris amantes,
Iridem & hinc volucrum alloquitur ac talia mandat:
Vade, age Diva, voca Zephyros, adlabere LIPSINI
pennis, & miseram presentibus erue flammis
dixerat; illa Patris magni parere parabat.

B 3

impe-

imperio & niveis pedibus talaria nectit
aurea, quæ sublimem alis sive ævora supra
seu terram rapido pariter cum flamine portant,
Vulcanum hinc Martemque vocat, Furiam atque ita fatur:
Tantane vos generis tenuit fiducia vestri.
Urbem nunc miseram, superum sine Numine Divum
delere, & tantas audetis tollere turbas?
Vos ego! sed motas præstat restinguere flammam
post mihi non simili poenâ commissa luetis!
Vix hæc ediderat, positus Vulcanus habenis
mitescit, sistit medio in certamine Mavors.
Visa dehinc subito facies adlapsa decoræ
Iridis antè oculos, talisque effundere voces:
Cara mihi & sævis LIP SIS perterrita fatis,
imperio Jovis huc venio, qui mœnibus igneis
depulit, & cælo tandem miseratus ab alto est:
Neu flammæ terrere minis, timor omnis & iræ
concessere Dei, cuius nunc cura resistent
omnia jam flammæ tulerint, cuncta hausserit ignis.
Eloquar? an sileam? nunc quæ ratione quod instat
expediam, paucis animos, adverte, docebo:
O LIP SIS magnis belli defuncta periculis!
sed terrâ graviora manent bella, horrida bella!
& Plisnam multo spumantem sanguine, quæ vin &
funereo cerno turbari mœnia luctu!
Tunc cede malis, sed contra audentior ito
quæ tua te fortuna sinet, tibi prima salutis
SAXONIDES HEROS genus alto à sanguine Divum
ELECTOR, Princeps quæ vel præstantior alter
non pietate fuit, non armis, limina pandet,
Cæsarei veniunt (mitte hanc de pectore curam.)
dixit, & in cælum paribus se sustulit alis

ingen

ingentemq; fugâ secuit sub nubibus arcum.
LIPSIUS ut agnovit, duplices ad sidera palmas
sustulit, ac tali fugientem est voce secuta:
Iri decus cœli, qv̄is te mihi nubibus actam
detulit in terras? unde hæc tam clara repente
tempestas? video medium discindere cœlum:
palantesq; polo stellas: Tunè omina tanta
Tunè responsa dabas, vel qv̄æ portenderet ira
magna Deum, vel qv̄æ fatorum posceret ordo?
Missa polo es, qv̄o fata trahunt, retrahuntq; sequendum est.
qv̄icqv̄id erit, sperando omnis fortuna ferenda est.
Nec mora, jam fracti bello, fatiq; repulsi
Svecorum populi, qv̄æ proxima littora, cursu
contendunt petere, atq; Hallæ vertuntur ad oras,
votum pro reditu simulant, ea fama vagatur.
Nos abiisse rati, & cursu petiisse propinqvas
urbes, ac tacitos nostrâ decedere terrâ:
Ergò omnis nimio solvit se LIPSIA luctu,
omnibus hinc tacitum pertentant gaudia pectus,
lætitiâ, ludisq; viæ, plausuq; fremebant;
omnibus in templis Matrum chorus, omnibus aræ.
Panduntur portæ, juvat ire, & Svecica castra
desertosq; videre locos, littusq; relictum.
Hic acies, atq; hic acies ad stare Suecas,
hic peditum manûs, hic latis tendebat in arvis
turma equitum, hic gerræ faxis, glebâq; refertæ
tormentis locus, hic acies certare solebant.
Pars derelictas crates, suspectaq; dona
precipitare jubet, subjectisq; urere flammis,
Objicitur verò hic oculis mirabile factum
Cæsarei extemplò portis bipatientibus adsunt
Croati, celeres capiuntq; per aëra cursus,

imbro

improvisi adsunt, & strictis ensibus adsunt :
 Olli per campos, quâ proxima meta suburbi
 armati tendunt, it clamor, & agmine facto
 quadrupetante putrem sonitu quatit ungula campum
 undiq; visendi genus hem superabile bello
 circumfusa ruit subito Philurea Juventus :
 jamq; omnis campis exercitus ibat apertis,
 dives eqvum, dives pictai vestis, & auri.
 Jamq; rubescebat radius mare, & æthere ab alto
 aurora in roseis fulgebat lutea bigis,
 non procul hinc stat ferri acies, mucrone corusco
 stricta, parata neci, mox hinc sudibusq; præustis
 horrescit strictis seges ensibus, æraq; fulgent:
 Interea nec non mediis in millibus ipsi
 Ductores auro volitant, ostroq; decori
 haud secus instructi & ferro, quâ si aspera Martis
 pugna vocet, subito circum hos utringq; phalanges
 stant densæ, strictisq; seges mucronibus horret.
 Ergo inter sese paribus concurrere telis
 adversas acies iterum videre coloni;
 nec fuit indignum Superis, ter sanguine nostro
 Pieriæ Philyres latos pingvescere campos,
 scilicet & tempus veniet, cum finibus illis
 agricola, incurvo terram molitus aratro
 exesa inveniet scabrâ rubigine pila,
 aut gravidas rastris galeas pulsabit inanes,
 grandiaq; effossis minabitur ossa sepulchris.
 Quippe ubi fas versum atq; nefas, tot bella per urbem
 tum multæ scelerum facies, non ullus aratro
 dignus honos, squallent abductis arva colonis,
 & curvæ rigidum falces constantur in enses:
 Discissâ gaudens sævit Discordia palia

Horaz. Georg.
 I. 490

quâ

quam cum sanguineo sequitur Bellona flagello;
illinc Cæsarei, mox et illinc Svecia bellum
erumpunt omnes subito clamore, frementesque,
exhortantur equos, fundunt simul undique tela,
adventusque virum fremitusque ardescit equorum.
Haut incerta cano, extemplo pugna aspera surgit,
tum verò & gemitus morientum, & sanguine in alto
semianimesvolvuntur equi mirabile visu:
funditur ater ubique cruor, dant funera ferro
certantes, pulchramque petunt per vulnera mortem:
Dirigere oculi, solvuntur frigore membra,
exsanguis cadunt, nigrescunt omnia circum,
genua labant, non lingua valet, non corpore nota
sufficiunt vires, nec vox, nec verba sequuntur,
confixi exspirant animas ante ora suorum.
Quis mihi nunc tot acerba DEUS? quis carmine cladem
expediat? plenos spumanti sanguine rivus?
aut quid Lipsiaco factum crudelius orbe?
non ego cuncta meis complecti versibus opto,
non, mihi si centum lingvæ sint, oraque centum.
Interea pavidam volitans pennata per urbem
cum Soljam cæli conscenderat igneus orbem
protinus ad matres, rerum fama occupat aures,
quæ totam luctu concussit funditus urbem
nec jam fama mali tanti, sed certior auctor
advolat: expulsi nostris sunt finibus omnes
Cæsarei, turbatae acies, versique Croati
rejiciunt parmas, & equos ad mœnia vertunt,
clamorem tollunt, & mollia colla reflectunt,
hi fugiunt, penitusque datis referuntur habenis:
non ulli est animus stricto concurrere ferro,
sed mox terga fugæ nudant, mox spicula vertunt,

C

& laxos

& laxos referunt humeris languentibus enses,
q̄ quadrupedumq̄ putrem cursu q̄ vatit ungula campum.
Qui cursu portas vix irrupere patentes,
hos inimica super misto premit agmine turba
nec miseram effugiunt mortem, sed Marte necantur:
Pars in præcipites fossas, urgente catervâ
volvitur hinc alii gaudentq̄ relinquerè terras;
disiectiq̄ Duces, desolatiq̄ manipli
tecta petunt, & equis adversi ad mœnia tendunt.
Heu pietas! heu prisca fides! via facta per hostes
Cæsareis populis gelidus formidine sanguis
dirigit, cecidère animi, dant terga per agros
pulverulenta fugâ, si ritè audita recordor
ante Notos, Zephyrosq̄ volant illi æquore aperto,
quò Deus, & quò dura vocat fortuna, sequuntur.
Quis metus? ô nunquam dolituri? ô vincere certi
Cæsarei? quæ tanta animis ignavia venit?
quid ferrum? quid vè hæc geritis tela irrita dextris?
non hæc humanis opibus, non arte magistrâ
proveniunt, sic jam sortitur fata Deum Rex
ut Sveci Ducis exemplum, eventumq̄ secuti
compositi in numero turmas, pæana canentes
magna tropæa ferant, diverso ex hoste tropæa
letitiâq̄ fremant, animosq̄ ad sidera tollant!
Nec mora, nec requies multis cum millibus Heros
nunc urbis ruit ad muros, terrètq̄ timentes,
tèr q̄ triumphantes Lipsensia littore gentes
undi q̄ nos cingunt, aditum & custode coronant,
excubat, exercètq̄ vices assveta juventus.
Heu quanta miseris cædes Lipsensibus instant!
Heu mihi quid tanto turbantur mœnia luctu?
Quis vè ruit tantus Philuræâ clamor ab urbe?

Horror

Horror ubiq; animos terret, vagitus & ingens
ædibus in mediis maternas impulit aures.
Ille dies iterum lethi, primusq; malorum
causa fuit, sceleris tanta est injuria nostri?
tempore jam ex illo (non hæc sine Numine Dio)
clarescunt sonitus, armorumq; ingruit horror,
sævit amor ferri, cædisq; insana cupido,
nesciaq; humanis precibus mansvescere corda:
Parcarumq; dies, & vis inimica propinquat,
nunc hos, nunc illos aditus, omnemq; pererrat
arte locum, & sævam nullo discrimine cædem
suscitat, irarumq; omnes effundit habenas.
Et jam Lipsiacus, rabie ante immanior omnes
miles, multa malus simulans, cui tristia bella
iræq;, insidiæq; & noxia crimina cordi,
illa manum pinu flagranti fervidus implet,
conspectu in medio Procerum nunc tecta suburbi
relligione Patrum multos servata per annos
accendit, quid non mortalia pectora cogis
auri sacra fames, caput horum & causa malorum?
Protinus hinc Furie mens effera, ne quid in ausum
aut intentatum damni ve doli ve fuisset,
faucibus ingentem fumum mirabile visu
evomit, ignicomas flammâq; everberat alis.
Et velut incautis pastoribus excidit ignis
qui furtim pingvi primùm sub cortice tectus
robora comprêndit, frondésq; elapsus in altas
ingentem cælo sonitum dedit, inde secutus
per ramos victor, perq; alta cacumina regnat,
& totum involvit flammis nemus, & ruit atram
ad cælum piceâ crassus caligine nubem;
presertim si tempestas à vertice Sylvis

incubuit, glomeratq; ferens incendia ventus :
Sic vidi incensas ædes, sic vulsa suburbi
limina tectorum, & medium in penetralibus ignem
omnia ventorum concurrere prælia vidi,
quæ lapsas ædes altè ab radicibus imis
sublimè evulsas raperent, & turbine nigro
auferrent, culmumq; levem, stipulasq; volantes.
Adversis rupto luctantes turbine venti
ceu conjurati cælum rescindere fratres
unà Eurúsque, Notúsque ruunt, crebèrque procellis
Africus, & vastas jactant ad sidera flammæ.
Aurora intereà miseris mortalibus almam
extulerat lucem, referens opera atque labores,
sed non intereà flammæ atque incendia vires
indomitas posuere; sed undiq; & undiq; pulchri
certatim crebris collucent ignibus hortu,
nec vires Svecorum, infusaque flamina profunt.
Illic disjectas ædes, avulsaque tecta
Theiologum Höpneri simul & Langi atque VVeberi
Telleri cultum vastarier ignibus hortum
cernere erat, mistoque undantem pulvere fumum.
Dii meliora piis, ardoremque hostibus illum!
Ventum ad supremum est: stygiis emissa tenebris
Pallida Tisiphone morbos agit ante metumque
debilitat vires animi, mutatque vigorem
unde hominum errores longè lateque per urbem
tam multæ scelerum facies, in rebus egestas,
nec pecori opportuna seges, tot millia dirâ
vaccarum atque bouum maculantur corpora peste.
Hæc ita dum fiunt, medio flagrante tumultu
tot lecti Proceres, quæsitum oracula rebus
ingressi subter Petrii recta suburbi

(sva-

(Svadet enim duris urgens in rebus anance)
undiqve conveniunt, casusqve evadere ferri
conantur, firmamqve petunt per vulnera pacem;
jamqve Oratores aderant ex urbe celebri
velati ramis oleæ, veniamqve rogantes.
Verum cum semper Superis aversa voluntas
inconsulti abeunt, nec habet fortuna regressum.
Legati responsa ferunt, nihil omnibus actum
tantorum impensis operum; nil Zona, nec aurum,
nec magnas valuisse preces, alia arma deinde
qværenda, aut Svecas subito intromittere gentes.
Post varios casus, post tot discrimina rerum
nulla viam fortuna regit, qvia qværitur hæres
in regnum, morèsqve viris, qvi & mœnia ponet,
jura dabit Philuræ Legèsqve operumqve labores.
O LIPSIS cui te exscidio fortuna reservat?
nec qvæ circumstant te deinde pericula cernis?
Ecce manûs juvenem intereâ post terga revinctum
Liphiaci magno ad summos clamore trahebant,
qvæ semper fidens animi, atqve in utrumqve paratus
seu versare dolos seu certa occumbere morti.
Tum subito hortamur fari, qvô sanguine cretus,
qvæ vidè ferat memoret, qvæ sit fiducia capto:
Ille nihil, sensit meâos delapsus in hostes
obstupuit, retroqve pedem cum voce repressit,
& nunc huc, inde huc incertos implicat orbés,
nunc etiam conficta dolo mendacia turpi,
nec latuère doli sermo novus errat in ore.
Ille hæc depositâ tandem formidine fatur:
cuncta eqvidem vobis, fuerit quodcûmq, fatebor
vera, inquit, neq, me adversâ de gente negabo.
Tum verò ardemus scitari, & qværare causas

incipimus: Quis te confidentissime nostras
iussit adire domos? quæ te quoque causa subegit?
prosequitur pavitans, & aperto pectore fatur:
Haut incerta canam, vestris succedere terris
Svecorum vis magna jubet, succendere tectæ
Urbis ubi captæ casum, & convulsa viderem
limina tectorum, & scalis adscendere Svecos.
Tum verò infelix confusus imagine rerum
se causam clamat, crimēque caputque malorum
hinc atque hinc piget incepti, nec plura locutus.
Talibus his ausis damnatur crimine mortis,
districtus pendet pedibus per mutua nexis,
brachiaque ad superas interritus extulit auras,
vitaque cum gemitu fugit indignata sub umbras.
Hic aliud majus Philuræ multoque tremendum
objicitur, magis atque improvida pectora turbat:
Turris erat celebris Plisburgi pontibus altis
opportuna loco, summis quam viribus omnes
Sveci expugnare, & summam nunc vertere opum vi
certabant: contra obsessi defendere telis
illam non possunt, aut propugnacula bello
tuta parare, truci juvenes non funera ferro
dant, quoniam Sveci glomerati comminus instant,
& fossas implere parant, ac vellere vallum.
Sed velut annosam, valido cum robore quercum
cum ferro accisam, crebrisque bipennibus instant
eruerē agricolæ certatim, ite stridor & altè
consternunt terram concusso stipite, frondes,
vulneribus donec paulatim evicta, supremum
congemuit, traxitque jugis avulsa ruinam:
Haut aliter turris (de te nil tale verebar)
frangitur, interitum magnum mox tectæ minantur,

ma-

incenilus auditur fragor, & resonantia longè
littora miscentur, miscetur murmure Plina
ænea nunc lato dant tormenta ore fenestram
apparet domus intus, & atria longa patefcunt.
Arx antiqua ruit multos dominata per annos,
plurima perq; vias sternuntur inertia passim
corpora: nec soli pœnas dant sanguine tincti.
Quondam etiam oblectis redit in præcordia virtus.
Clara dies stellas cum primo oriente fugarat
ergo aderat portæ custos acerrimus armis,
Ecquis erit mecum ô juvenes, qui primus in hostes?
en ait: & jaculum intorquens emittit in auras,
principium pugnae, & campo sese arduus infert,
clamore excipiunt socii, fremituq; sequuntur
horrisono, & sævis telis solida æra fathiscunt,
aggeribus vallum circum & fluvialibus undis
invadunt, turbant, omnes non segnius adstant,
hinc fugiunt Sveci, vix primi prælia tentant
tormentum vigiles, & caeco Marte resistunt.
Dum magis adspirat cæpto fortuna labori:
Lipsiaci immisti Svecis mirabile visu
adproperant manibus, ferro & dirumpere crates,
durosq; horrisonis tormentis addere clavos
audebant, DOLVS an virtus, quis in hoste requirat?
Hoc virtutis opus! habet hæc victoria laudem!
Hæc non sufficiunt, cum claudit vesper olympum
Lipsiaci fortes dura in certamina rursus
succedunt, animasq; in aperta pericula mittunt,
it clamor totis per propugnacula muris,
& tuba terribilem sonitum procul ære canoro
increpuit, collapsa ruunt immania membra
dat tellus gemitum, & clypeum super intonat ingens,

sterni

sternitur omne solum telis, tum scuta, cavæq;
dant sonitum flictu galeæ, pugna aspera surgit.
Unus qvi nimiã cæde atq; cupidine fessus
absistamus, ait, nam vis inimica propinquat,
pœnarum exhaustum satis est, hunc admonet alter:
Fidito ne pedibus, ferro rumpenda per hostes
est via, quã globus ille virum densissimus urget.
Talibus admonitus, medios moriturus in hostes
enruit, & currit pedibusq; & viribus æquis,
una salus victo nullam sperare salutem.
Sic Mars armipotens animum virèsq; ferebat
Lipsiacis, stimulos acres sub pectore vertit,
immisitq; fugam Svecis, atrumq; timorem!
Sic LIPSIIS certat virtutem extendere factis!
Verum collecti Sveci, glomerantur eodem
& conferre manum, & procurrere longius audent,
adscendunt subito Petrini tecta suburbi
unde manu trepidã jaçtabant irrita tela.
Nox ruit, hinc tacitæ per amica silentia Luna
adscendit positis clam propugnacula scalis
Svecorum miles, cura est hæc subdita cordi
prenderè vexilla (en!) sociisq; avulsa referre:
scilicet hæc tentanda via est, quã se quoq; possit
tollere humo, victorq; virum volitare per ora.
Insomnem verò noctem custodia ducens,
quæ servatq; vices semper statione relicta,
increpat his verbis: nostrasne evadere demens
sperasti te posse manus? simul arripit ipsum
pendentem, & magnã muri cum parte revellit,
ingentemq; gravi devolvit pondere molem
Sic sinem imposuit prædæ! Sicitur ad astra!
Nec mora, nec requies concussa est pondere tellus,

mugit

mugit sub pedibusq; solum, & juga celsa fatiscunt,
& loca vi magnâ, & vastâ convulsa ruinâ
dissiluisse ferunt, nulla hinc exire potestas,
nec spes ulla fugæ, viduant tum civibus arcem.
Hinc pavidae matres pressere ad pectora natos,
& mœstas alto fundunt de limine voces
tendebantq; manus, it tristis ad æthera clamor:
jam jam nec nobis ea, quæ senioribus ullum
copia vivendi vitæ genus, omnia fatis
in pejus ruere, & retrò sublapsa referri.
Singula quid memorem versu? crudelis ubiq;
Luctus, ubiq; pavor, & plurima cladis imago,
omnis spes fluere: at tantos perferre dolores
hoc opus, hic unus labor est! ô maxima rerum
& meritò pietas homini tutissima virtus!
Jamq; Sacerdotes, Proceres, Populusq;, Patr'sq;
conveniunt (differre nocet) sub nocte per umbram
concilium summis urbis de rebus habebant
multaq; dura suo tristi cum corde putabant:
Quid facimus? quæ sit rebus fortuna, videmus
funditus occidimus, nec habet fortuna regressum,
illi inter sese duri certamine belli
eventus belli varios, tristesq; ruinas
multa inter sese vario sermone ferebant.
His demùm exactis, roseis aurora quadrigis
jam mediæ ætherio cursu trajecerat axem
omnibus in templis Procerum chorus, omnibus aris
adstant & veniam poscunt, sacrisq; litatis
vota dabant Domino, rerum cui summa potestas:
Alme DEVS faveas, hæc fœdera Numine firmes,
des pacem stabilem Philuræ Rex CHRISTE tuere
arva gregemq; tuum, da commoda tempora pacis,
nulla salus bello, redeat pax reddita mundo!

D

Hinc

Hinc urbe egressi^q locum, qui plurimus urbi
imminet, & veteres Plisburgi respicit arces
firmatamq; volunt componi fœdere pacem,
ardor habet cunctos pacem à Ductore petendi.

Auditis hisce, acceptum Torstsohnus Heros
totus collucens veste, atq; insignibus armis
responsum placido Legatis reddidit ore

Omnia percepi, atq; animo mecum ante peregi
Magnanimi Heroës, animo gratissima nostro
hausi eqvidem, pacis solum inviolabile pignus
his dabitur terris, cum primùm crastina cælo
puniceis in vecta rotis aurora rubebit,

Frigida vix cælo noctis discesserat umbra
humentemq; aurora polo dimoverat umbram
ergò aderat promissa dies, & tempora Parca.
debita complêrant, nec se celare tenebris
amplius, aut tantum potuit perferre dolorem.

Ille dies primus curæ casusq; levamen
solamenq; mali, quod rebus restat egenis.

Exspectate venis, jam ut te post multa tuorum
funera, post varios hominumq; Urbisq; labores
defessi aspicimus, tu nunc via prima salutis
fortunate dies! en hæc promissa fides est!

Quare agite ô revocate animos, secludite curas
ô passi graviora, DEVS jam dat quoq; pacem:
amplius audiri posthac nec classica, nec post
impositos duris crepitare incudibus enses.

Felix illa dies! fac sit non noxia terræ!

Felix illa dies! fac sit nunc dextra fidésq;
verborumq; fides superi Regnator olympi!

Inclyta tum LIPSIS primùm sperare salutem
ausa, atq; adfluctis melius confidere rebus.

No 26

Nox ruit, hinc Sveci per amica silentia Luna
 Plisburgi celebris mox propugnacula scissa
 adscensu superant, obscuraq; limina quaerunt.
 Haut mora, continuo Ductor Trandorffius (cheu!)
 deserit & muros, & summas deserit arces,
 cognatasq; urbes olim, populosaq; propinquos
 ardet adire libens magna comitante caterva,
 flammantesq; faeces monstrant quae meta viarum.
 Tertia lux gelidam caelo dimoverat umbram
 atq; ubi confecti cursus, comitante caterva
 ante tulit gressum Schleinitz, camposq; patentes
 ostentat: jam exit portis equitatus apertis,
 insequitur nimbus peditum, Schleinicia plenis
 agmina se fundunt portis, mens una sequendi
 omnibus, idem animus (divina hoc Numina poscunt)
 hospitium antiquum, dulcesq; relinquere terras.
 Auditurq; sonus lituorum, hinc inde tubarum
 miscetur clangor, medio & vexilla geruntur,
 quidq; humeri illorum validi, quid ferre valebant,
 & quicquid poterant cervici imponere, portant.
 Urbs antiqua jacet, multos dominata per annos
 urbs, ubi SAXONIDUM genus alto à saagvine Divum
 MAGNUS ubi & folio residet SEPTEMVIR a vito,
 nulla dies unquam memori quovamq; eximet a vo,
 illuc mox celeres gressus, cursusq; capessunt.
 Contra Svecigenae multis cum millibus intrant
 LIPSIN, Ductores fulgent opibusq; superbi
 purpurei cristis juvenes, auroq; corusci
 arte laboratae vestes, in pectore summo
 flexilis obtorti per collum circulus auri.
 Hos circum innumerae gentes peditesq; equitesq;
 intra ducuntur muros, simul arce locantur,
 hinc atq; hinc omnemq; aditum custode coronant,

& leti imperio parent, ac iussa capeffunt.
Postquam introgressi portarum ingentia claustra
arma silent, arma arma silent tellure potiti,
latitiâ exsultant longè latèq; per urbem
ingeminant plausum, ludunt, risuq; soluto
latitiâ, ludisq; viâ, plausuq; fremebant.
Interea magnum Sol circumvolvitur annum
& jam finis erat, damnatis ordine votis,
dum lecti Proceres longè latèq; per urbem
fortè recensebant numerum Matrûmq; Patrûmq;
Natorûmq; ingens quâ se jam porrigit orbis
LIPSIDIS, & longo lustrabant ordine gentes,
omne adeò genus in terrâ pecudûmq;, ferarum
censebant, quid non mortalia pectora cogis
auri sacra fames, crimèq; caputq; malorum?
Dona dehinc auro gravia, atq; hinc splendid a gaza
crateresq; auro solidi, pateraq; argento
cælati argenti penitus defossa talenta
thesauri, atq; ignotum argenti pondus & auri
congeritur: gemma & fulvum quæ dividit aurum
aut collo decus, aut capiti, vel quæ vale per artem
argentum, Pariusve lapis circumdatus auro
adfertur, quid non mortalia pectora cogis
auri sacra fames, crimèq; caputq; malorum?
His demùm exactis, rebus jam ritè paratis
venit summa dies, Svecarum gloria rerum
quâ jam conveniunt Sveci, instaurata revisunt
templa DEI, saxo, solido de marmore templa
imponuntq; sacris aris libamina sacra.
Inde ubi clara dedit sonitum tuba, finibus omnes
prosiluere suis, tum facta silentia lingvis.
Altior insurgit, cunctis ex more vocatis

& po-

Et positis aris, jam purâ in veste Sacerdos,
pandit res altas, & sancta oracula Divam
-letitiâ exsultans sinuosa volumina versat,
ingentèsq; DEO grates pro talibus ausis
persolvit, renovans omnes (quia plurima turba
hunc habet, atq; humeris extantem suspicit altis)
Svecorum casus, & res ab origine gestas,
semper honoratos mores, ritúsq; sacrorum.
His actis rauco strepuerunt tympana cantu,
æneaq; assensu conspirant cornua claro
non aliter, (si parva licet componere magnis)
ceu quondam nivei liquida inter nubila cygni
dant sonitum, atq; alto in luco cum fortè catervæ
consedère avium, piscosove amne Padusæ
cum sese è pastu referunt, & longa canoros
dant per colla modos, clamorem ad sidera tollunt.
Interea tormenta sonant circumq; supraq;
omnia respondent sylva, collèsq; resultant,
saxa sonant, vocisq; offensa resultat imago:
complentur vallèsq; cavæ, saltúsq; profundi,
consonat omne nemus, vocémq; inclusa volutant
littora, tum montes, ipse tum carmina rupes
responsant circum, & cælum tonat omne tumultu,
& tuba commissos tandem canit aggere ludos.
At domus interior regali splendida luxu
instruitur, mediisq; parant convivia tectis,
arte laboratæ vestes, ostróq; superbo,
ingens argentum mensis, cælataq; in auro
fortia facta Patrum, series longissima rerum
per tot ducta viros antiquæ ab origine gentis.
Jam Dux, jamq; alii DUCTORES undiq; fortes
conveniunt; stratoq; super discumbitur ostro;

dant manibus famuli lymphas, Cereremq; canistris
expediunt, tonsisq; ferunt mantilia villis.
Multi adsunt intus servi, quibus ordine longo
cura penum struere, & flammis adolere penates:
centum alii, totidemq; pares ætate ministri
qui dapibus mensas onerant, & pocula ponant.
Nec mora, continuo Ductores ordine longo
porticibus longis jussi discumbere pictis,
tùm victu revocant vires, laticemq; Lyæum
invitat genialis hyems, curasq; resolvit.
Postquam prima quies epulis, mensæq; remota
crateras magnos statuunt, & vina coronant,
fit strepitus tectis, vocemq; per ampla volutant
atria; tùm cuncti vertunt crateras ahenos,
indulgent vino, circum stipante catervâ
ipsi lætitiâ voces ad sidera jaçant.
Fata Jovis quovisq; plura sinunt, sed causa tacendi
est hîc, concessus nobis jam terminus hæret.
Tantæ molis erat Lipsensem cingere gentem!
Tantæ molis erat Romanam vincere gentem!
Tantæ molis erat Svecam intromittere gentem!
Tantum finem des ô Rex CHRISTE laborum!
Tantum finem des ô Rex magne dolorum!
Tantum finem des ô Rex summe timorum!
Nunc Pater omnipotens, cœlum qui Numine torques
ô nobis adsis, propius tua Numina firmes
ô Pater, ô hominum Divûmq; æterna potestas
namque aliud quid sit, quod jam implorare queamus?
Da DEVS augurium, atque animis illabere nostris!
Fac sit parva quies, veniatq; extrema malorum
ærumnis factura modum, acceptissima semper
atq; optata dies, quâ nemo in bella vocetur,
et pe tantorum cunctos de clade malorum!

Aperta

Aspera fac positis mitescant secula bellis
cana fides, & Diva Themis, Musa q̄ sorores
jus dicant, diræ ferro & compagibus arctis
claudantur belli portæ; furor impius intus
sæva sedens super arma, & centum vinctus ahenis
post tergum nodis, fremat horridus ore cruento!
Sed Vos q̄ veis belli venit tam dira cupido
ô socii, per dura ac densa pericula Martis
per tantos bellorum æstus, per totq̄ furores
armorum, per totq̄ hyemes, per q̄ vicq̄ vid acerbum
horrendum, grave, triste, ingens, per q̄ vicq̄ vid iniquum
infaustum & crudele foret, convertite mentem
in melius! detur finis, sit meta malorum!

Nulla salus bello, Pacem te poscimus omnes.

Audiat hæc DEVS, mundi q̄vi sidera torquet!

Audiat hæc genitor, q̄vi fœdera fulmine sancit!

Audiat omnipotens, propiusq̄ hæc omina firmet!

Vosq̄ adeò decus hoc ævo, fortissima bello

fulmina Saxonides genus alto à sanguine Divum
consulite in medium, & rebus succurrite fessis!

ELECTORQ; HEROS, decus, imperiumq̄ Tuorum
adsis, mox placidusq̄ juves mitissime Princeps!

SAXONIDES MAGNI, genus alto à sanguine Divum
fortunati omnes, si q̄vid mea carmina possunt.

in freta dum fluvii current, dum montibus umbra

lustrabunt, convexa polus dum sidera pascet,

nulla dies unqvam memori Vos eximet ævo,

semper honos, nomen vestrum, laudēsq̄ manebunt.

LIPSIDIS hæc è super lapsu fatiſq̄; canebam
tela inter media, atq̄ horrendos Marte tumultus,

illo dum juvenem me tempore dulcis habebat

LIPSIDIS urbs, studiisq̄ vacantem nobilis otii.

Sed

Sed nunc immensum spaciis confecimus æquor,
& jam tempus æquum fumantia solvere colla.
Extremum LIPSIS mihi jam concede laborem
pauca, sui memorem quæ me fecere merendo
carmina sunt dicenda, illis quis carmina nolit?
O Philippe, quibus cælo Te laudibus æquem?
Justitiane prius mirer, studiivè laborem?
Magnanimi Heroës nati melioribus annis
Tuq; ingens animi Musis addicta juvenus!
Talibus his ausis dignas persolvere grates
non opis est nostræ: vestri stet gratia facti.
Dii modò, si quæ pios respectant Numina, si quid
usquam justitiæ est, & mens sibi conscia recti,
præmia digna ferant, posthæc pulcerrima quæq;
Dii, morèsq; dabunt vestri, pro talibus ausis
Spondebit Vobis semper fortuna salutem.
Ante leves etenim pascentur in æthere cervi,
& freta destituent nudos in littore pisces,
ante pererratis amborum sinibus exsul
aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tygrim
quàm vesternostro labatur pectore vultus.
Quæ me cunq; vocent terræ, quæ vicinq; penates
nec si frigoribus mediis Hebrumq; bibamus,
scytoniasq; ve nives hyemis subeamus æquosæ
nec si cœnosam Lethæi fluminis undam
securos latices, & longa obliviam potem
vestrorum nostro labatur pectore vultus.
O socii (nequæ enim ignari sumus ante malorum)
Durate, & vosmet rebus servate secundis,
Fata viam invenient, aderitq; vocatæ JOVA.

Soli DEO Gloria.

F I N I S.

40 1000
A

926

1017



L. 38, 13.

OBS

A die XV
vembri
cl

Versib

Tela in

Inclytæ &
in c

Splen

JOHANN

Sumpti

2008/7

Yc
4603

RBIS

VIII. No-
artum
â.

is ferè

umul-

osophicæ,
miâ

tante

Smalcald.

heibens.

